



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

20. De resignationibus beneficiorum cum reseruatione omnium fructuum,  
vel regressus, accessus, vel ingressus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

cunque opinionem sequamur, siue eam quæ affirmat huiusmodi Clericum ante iudicalem criminis declarationem beneficium debere dimittere, siue alteram, quæ id negat, Communi est sententia receptum, resignationem ratam, & firmam non esse: quia quamuis sit illi permittum, ut beneficium possideat, donec sententia iudicis crimen declaretur, ius tamen, & titulum beneficii amisit, quo die crimen incurrit: at resignatio beneficii est voluntaria dimissio iuris, quod in beneficio quis obtinet. Verum quærat aliquis, An is qui ipso iure non est beneficio priuatus, sed iudicis sententia priuandus, tuta conscientia possit beneficium dimittere antequam criminis condemnetur? Respondeo, ex communi omnium sententia posse, quia ante iudicis sententiam, in beneficio ius obtinet: ergo potest suo iure cedere, ut ad alterum transferatur.

Nono, An ætate minor possit coram Ordinario suum beneficium dimittere? De hac questione Gloss. Abbas, & alii in *capit. ex parte de restit. spoliator. Abbas, & ceteri ibidem.* & Covarr. *lib. 1. Variarum resolut. cap. 5.* Respondeo, in iure minores appellari, tum eos qui decimum quartum annum ætatis excedunt, & vigesimum quintum nondum agunt, quibus curatores dantur, tum eos qui nondum decimum quartum attingerunt annum, qui in tutorum cura esse solent. Communi sententia receptum est, minorem viginti quinque annis, sed decimum quartum excedentem posse beneficium deponere, sine vlllo curatoris consensu. *Glossa in cap. Ex parte, de restit. spoliator. Abbas, & ceteri ibidem.* & potest tum per se, tum per procuratorem se beneficio abdicare, sicut etiam absque vlllo curatoris assensu potest beneficium sibi collatum accipere. Nam in causis spiritualibus, & Ecclesiasticis, & in his, quæ pendent ab eis, Clericus minor viginti quinque annis pro maiori habetur *cap. ult. de iudiciis.*

Quares, An hic Clericus minor viginti quinque annis possit beneficio restitutionis vti aduersus resignationem beneficii à se factam? Respondeo, quando cumque in resignatione læsus non est, tunc beneficio legis vti non potest, ut si beneficium dimittit, quia duo habebat, & ex alterutro viuere potest: aut beneficium dimissum ei potius oneri, quam emolumento erat: aut quia dimisit gratia aliquis consanguinei, vel amici: aut quia deposuit matrimonium contracturus, aut in religionem ingressurus, eo quod beneficium restitutionis in integrum iure communi conceditur minori viginti quinque annis, si fuerit læsus, *l. Non omnia ff. de minoribus, & l. minorib. C. de restit. in integrum.* Quando vero minor beneficium dimisit, & in ea dimissione læsus est grauitur, quia ex beneficio vivebat, si res sit adhuc integra, hoc est, si nondum beneficium est alteri collatum, restituitur in integrum sola gratia, & fauore ætatis. Si vero collatum est, iuxta aliquorum sententiam, etiam est restituendum. Sic Vincentius, & Archidiaconus teste *Panormitano loco citato*, quam sententiam sequitur Covarruias *lib. 1. var. resolut. cap. 5. num. 3.* At secundum aliorum opinionem, restitui iure non debet, quia ut dixi, in spiritualibus, & Ecclesiasticis causis maior esse videtur. Sic Tancredus, Accursius, Glossa, Ioan. Andreas, Lignanus, Cardinalis, Antonius apud Covarruiam loco citato: Sed Abbas videtur sentire etiam tunc restituendum, si fuerit grauitur læsus, nam etiam in Ecclesiasticis subueniendum est deceptis, & læsis.

### C A P. XXI.

*De resignationibus beneficiorum cum reservatione omnium fructuum, vel regressus, accessus, vel ingressus.*

Primo queritur, An resignatio beneficii cum reservatione omnium fructuum licita sit? Sciendum est, aliquando Clericum suum beneficium dimittere, omnibus tamen fructibus sibi reseruatis, ita ut ad resignatarium solum ius, & titulus beneficii transferatur, & hæc resignatio

fieri iure communi non potest, vel eo quod iure communi beneficium diuidi nequit. *cap. Maioribus, de præbend. vel eo quod beneficia, sine diminutione conferri debent. cap. ut beneficia, sine diminut.* Diuiditur autem beneficium, vel saltem cum diminutione confertur, cum fructus vni dantur, siue reseruantur, alteri vero ius beneficii confertur. At quia Romanus Pontifex libere potest de beneficiis statuere in iis, quæ solum sunt iuris scripti, non naturalis, vel diuini; inde fit, vt possit beneficium Titio conferre reseruatæ ad tempus omnibus fructibus Caio beneficium dimittere. Porro hæc reseruatæ fructuum admitti solet iustus de causis, neis qui beneficium resignat, detrimentum patitur, sed habeat vnde commode sustentetur, vel contracta debita. Fructus enim dimittenti beneficium reseruantur loco pensionis, quæ in subsidium vite dari solet. Imo, *ut constat ex capit. Si tibi concessio, de præbend.* ad debita Ecclesie soluenda concessum fuit, vt posset ad certum tempus percipere fructus omnium beneficiorum in sua diocesi vacantium: Et Clemens VII. fertur concessisse Hippolyto Mediceo Cardinali, nepoti suo facultatem, qua posset arbitrato suo statuere de omnibus fructibus omnium beneficiorum in toto Christianorum orbe vacantium ad sex menses.

Verum si queras, Quid ea clausula significatur apponi solita, cum resignanti beneficium, omnes fructus reseruantur, nimirum data facultate, vt eos propria auctoritate percipiat? Respondeo, sensum eorum verborum hunc esse, eos vt possit capere per seipsum, sine cuiusvis alterius consensu, ac si adhuc dimissum beneficium retineret; est enim illi beneficium, quod dimisit obligatum; quare ab eotantum à re sibi addicta seruitutem exigit. Quod si hæc quam diximus clausula non apponitur; tunc fructus capere iure non potest sine consensu resignatarii, *ut docet Robuffus in praxi benef. part. 3. tit. ratione persona & reseruatæ reseruatæ. num. 23.* Queritur postea, An sit necessarius resignatarii consensus expressus, cum resignanti omnes fructus reseruantur ad tempus? Respondeo, esse necessarium, sicuti etiam in pensionibus necessario requiritur: nam alioqui detrimentum pareretur, quando quidem is qui titulum beneficii habet, onus sine fructu vlllo, & emolumento subire, ac sustinere non cogitur: nam qui altari seruit, de altari viuere: ac scienti, & volenti non fit iniuria, siquidem sciens, ac volens onus suscipit. Ergo si quis seruire velit gratis Ecclesie, nulla iniuria afficitur, si alteri fructus reseruentur: nec reseruari solent, nisi cum resignatarius habet, vnde commode sustentetur.

Secundo queritur, An licita sit resignatio, qua quis beneficium suum in gratiam alterius dimittit, reseruatæ sibi regressu ad illud? Sciendum est, quando coram Romano Pontifice aliquis beneficium suum causa, & fauore alterius deponit, solet Papa concedere facultatem resignanti, qua certis ex causis possit ad beneficium dimissum redire: & hic dicitur regressus: qui nihil aliud est, nisi ius ad beneficium dimissum reuertendi. Vocatur hoc ius tripliciter; Regressus, Accessus, & Ingressus. Tunc beneficium resignanti conceditur regressus, quando ei datur facultas, vt si resignatarius, hoc est, is, cuius gratia beneficium dimittit, præmoriatur, redeat ipse resignans propria auctoritate ad beneficium dimissum, quod ante resignationem legitimam possidebat. Regressus enim ad rem aliquam vel ius, est reditus ob quosdam certos euentus ad illud ius dimissum. Necessæ autem est, ad regressum, vt is cui conceditur, beneficii possessionem ante obtinuerit. Tunc vero reseruatæ resignanti accessus ad beneficium, cum alicui sit potestas accedendi ad beneficium, & illius possessionem capiendi, quam antea nactus non fuerat, quia v. g. Titius legitimam ætatem ad beneficium capessendum non habet, vel crimine aliquo, vel censuræ Ecclesiasticæ vinculo tenetur, vel irregularitate impeditur, datur illi facultas, vt cum ad legitimam peruenierit ætatem, vel crimine expurgatus, vel à censuræ absolutus, vel ab irregularitate liber fuerit, propria auctoritate possit ad beneficium

ficiam

ficium accedere, & illius capere possessionem. Vnde Accessus, est iusalicui datum beneficium capessendi, cuius possessionem ante non acceperat aliqua lege Canonica præparatus. Ingressus referatur beneficium resignanti, cum quis dimittit beneficium, cuius titulum, & ius Canonice obtinuerat, sed non possessionem: & datur ei facultas, vt si resignatarius præmoriatur, beneficium dimissum ipse propria auctoritate accipiat, & adeat possessionem illius. Quare hæc tria Accessus, Regressus, & Ingressus, quæ dimittentibus beneficium referuntur consueverunt, hoc differunt inter se se, quod Regressus requirit, vt præcesserit ad beneficium dimissum aditus; Accessus vero, & Ingressus non item. Porro Accessus ab Ingressu distinguitur, quod ille non requirit, vt aditus ad beneficium aliquo modo præcesserit, sed potius dicit aditum oclusum fuisse ob aliquod impedimentum Canonicum quo resignans tenebatur. Ingressus tamen inuit aditum ad beneficium quadam ex parte, hoc est, ad ius & titulum, sed non ad possessionem illius. *De his Rebus in praxi beneficiorum par. 3. tit. de regressibus, & resignationibus.*

Sed quærat quispiam, cuius auctoritate possit resignanti beneficium referuari Regressus, Accessus, vel Ingressus ad illud? Respondeo, solius Romani Pontificis auctoritate: nam resignatio coram ordinariis locorum fieri nequit nisi tantum absolue, & simpliciter, vt dicam inferius. Secundo quæret aliquis, An hæc beneficiorum resignationes referuato regressu, accessu, vel ingressu locum habeant in iure communi? Respondeo, vsu & more curiæ Romanæ eas introductas fuisse præter commune ius: vnde iure Canonico nulla extat mentio, nisi aliqua ex parte in cap. Si beneficia, de præben. in sexto. illis verbis: *Ad beneficia sua priora, collatione quibuscumque personis facta de his, nequaquam obstant, libere reuertantur.* In eo enim cap. statuitur, vt si Titius obtineat aliquod beneficium, quod simul cum alio haberi iure non possit, impetret ab ordinario loci aliud beneficium secundum, quod Papa iam alteri dederat; & Titius id ignorans, sciens tamen plura se beneficia habere non posse, dimittit primum beneficium, quod obtinebat, & secundum accipit ordinarii auctoritate sibi collatum: postea vero animadvertens, secundum auctoritate Papæ alteri fuisse datum, ad primum reuertitur: vnde ait Pontifex eum iure posse ad primum beneficium, quod dimiserat, redire propria auctoritate.

Tertio quæritur, An hi regressus modo sint liciti? Respondeo, Paulum IV. Constitutionem edidisse, quæ incipit: *Ad Romani Pontificis*: qua irritos efficit regressus, & accessus Cardinalibus concessis ad plures Ecclesias Cathedralis Metropolitanas: & statuit, vt regressus ad vnicam tantum Ecclesiam habere possint; & habentes ad plures, vno tantum retento, alios dimittant. Synodus Tridentina Sessione 25. cap. 7. de reformat. Regressus hunc in modum abrogauit: *Cum in beneficiis Ecclesiasticis ea, qua hæreditaria successione imaginem referunt sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria, nemini in posteriorem accessus, aut regressus, etiam de consensu ad beneficium Ecclesiasticum cuiuscunque qualitatis concedatur; nec hætenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur.* Hocque decretum in quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, ac etiam Cathedralibus Ecclesiis, ac in quibuscumque personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habent. Sic ibi. Voluit itaque Concilium, vt deinceps regressus denegentur etiam in Cathedralibus: de concessis vero regressibus nihil aliud statuit, nisi, vt non extendantur, aut transferantur. Pius tamen Quintus edita Constitutione, quæ incipit: *Romani Pontificis providentia*, omnes regressus, accessus, & ingressus sub quibuscumque formis, & quibuscumque personis, & quomodocunque concessis, aboleuit his verbis: *[Omnes, & singulos regressus, accessus, & ingressus, etiam de consensu, aut alias quomodolibet, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis efficacissimis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis*

plenitudine, clausulis irritantibus, & aliis decretis quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices præcessores nostros ad beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura secularia, & quorumvis Ordinum regularia, etiam si secularia, Canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales maiores, seu collegiatis Ecclesiis, huiusmodi principales. Regularia vero beneficia huiusmodi, Monasteria etiam Confortoria, Prioratus, Præposituræ, dignitates, etiam Conuenticuales personatus, administrationes, vel officia etiam Claustralia, ac hospitalia, & præceptorias, etiam hospitalis S. Iohannis Hierosolymitani, etiam quarumvis aliarum militiarum, quibusvis personis cuiuscunque status, gradus, Ordinis, & conditionis existentibus, & Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali dignitate, aut Cardinalatus honore pollentibus concessos, super quibus literæ Apostolicæ integraliter hætenus expeditæ non fuerunt; etiam si in Plumbaria nostra, aut penes Summatorem nostrum reperiantur, Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica tenore præsentium reuocamus, cassamus, & abolemus: mandantes ne in futurum super dictis gratis regressus, accessus, & ingressus, nec non Coadiutoriarum literas expédiant.] Hæc ibi. Vnde perspicitur, Pontificem omnes in vniuersum regressus irritos reddidisse; etiam ante concessos, quorum literæ Pontificiæ expeditæ non fuerint.

Quarto quæritur, Quibus de causis sint ad beneficia regressus damnati, & à curia Romana penitus exclusi? Respondet Mandosius in *praxi Signatura gratiæ, tit. regressus, & accessus*, id merito factum fuisse. Primum, quia iure communi introducti non erant, sed tantum in commodum, & vtilitatem resignantium excogitati, & inuenti: nec longè vsu fuerant approbati, vnde curiæ etiam Parisiensis auctoritate eos regressus fuisse abrogatos atque sublatos restat Rebuffus in *praxi beneficiorum par. 3. tit. de regressibus ad finem.* Deinde, vt hæreditariæ successiones in beneficiis penitus tollerentur, & ea quæ hæreditariæ successione imaginem referunt, & speciem habent: Insuper ne Ordinariorum in conferendis beneficiis libera facultas minueretur. Præterea, vt in conferendis beneficiis ratio potius haberetur eorum, qui magis idonei, & apti creduntur. Ad hæc, vt omnis in vniuersum captandæ, vel oprandæ mortis occasio, & anxia præcederetur. Postremo, vt omnis in beneficiis obtinendis ambitiosa cupiditas submoueretur.

Quinto quæritur, An omnes regressuum reservationes sint abrogatæ? Respondeo, minime, nec Concilii Tridentini decreto, nec Pii Quinti Constitutione prædictis: quoniam hi regressus, accessus, vel ingressus, qui conceduntur pensionario, si ei tempore constitutio pensio debita non soluitur, adhuc in curia Romana in vsu sunt. Nec item sublatis sunt illi regressus, qui iure communi subsistunt, qualis est regressus, de quo in cap. Si beneficia, de præben. in sexto, illis verbis: *Ad beneficia sua priora libere reuertantur.*

Sexto quæritur, Qua forma hi regressus concedi solebant ante Synodum Tridentinam? Respondeo, cum Mandosio loco citato, in hunc modum: *N. vero oratori, ne ex resignatione huiusmodi nimium dispendium patiat: quod dicto Resignatario cedente, vel decedente, aut beneficium huiusmodi dimittente, & alias quouis modo etiam apud sedem Apostolicam vacante, liceat sibi ad dictum beneficium quam primum illud per cessum, seu decessum, seu quamvis dimissionem, aut alias quomodocunque, etiam apud sedem Apostolicam præfatam vacare contigerit, liberum habere regressum, & ingressum, illiusque corporalem possessionem per se, vel per alium, seu alios eius nomine propria auctoritate libere apprehendere.* Sic ibi. Ex qua formula perspicitur, regressum ex causa resignationis concessum, locum habuisse, cum resignatarius, aut diem suum extremum obibat, aut se beneficio sponte abdicabat: hoc enim significant illa verba, *Sive per cessum, sive per decessum.* Et hoc, siue coram Romano Pontifice, siue coram ordinariis locorum beneficium dimittebat. Quoniam si in

curia